



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Exercitia S. P. Ignatii Via Ad Salutem Et Perfectionem
Propriam & alienam, Tuta & perpetuo tenenda**

Ignacio <de Loyola>

Hildesii, 1713

VD18 13664689

Meditatio Tertia. De Peccato Veniali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60348](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60348)

Meditationis secundæ Compendiū.

Concipiendus est intensus Dolor de Peccatis.

Primò. Ob fœditatem singulorum peccatorum.

Secundò. Ob vilitatem Personæ offendentis.

Tertiò. Ob Excellentiam Dei offensi.

Meditatio Tertia.

DE PECCATO VENIALI.

Oratio præparatoria. Præludium, uti Med. 1. & 2.

OMnia quæ dicta sunt de peccato mortali duabus meditationibus superioribus, applicari possunt, & debent ad veniale, exceptis his duobus penè solis: quòd non solvat prorsus amicitiam Dei, in inimicitiam, luâtque pœnam non æternam.

Intellectus.

Punctum primum.

Juxta Med. 1. suprâ.

Memoria proponit aliorum peccata venialia: v. G. Davidis vanè numerantis populum suum. 2. Reg. 24. 2. ejusque pœnam, multorum clâdem. Item, ac præcipuè peccatum

Voluntas.

Applicandi sunt hic affectus, qui annotati sunt med. 1. & 2. hujus Diei de peccato mortali omissis solum aut aliter applicatis illis quæ sunt peccato veniale

Intellectus.

Voluntas.

veniale alicujus damnati, v. G. leve furtum Judæ, vel peccatum hominis damnati propter luxuriam, &c.

mortali soli propria.

Intellectus considerat primò quod veniale peccatum sit etiam adversum fini ultimo, nolitque per illud homo, & per arbitrii libertatem Creatori suo debitam reverentiam, & obsequium præstare; atque esse insolentiam adversus Deum &c.

Secundò. Quòd gratiâ divinâ non quidem planè privet: amicitiam tamen mutuam Creatoris, & Creaturæ, favores singulares, & confidentiam multùm imminuat.

Tertiò. Decidit per illud homo in malitiam, & quidem tantam, ut Deus non eligeret, nec eligi ab homine velit peccatum, etsi per illud posset omnes damnatos liberare, & facere salvos: Ea est omnis peccati venialis fœditas.

Quartò. Quamvis ob veniale non præcipitur homo in infernum: separatur tamen à Deo ita, ut privetur visione Dei, nec possit in gloriâ conjungi Deo, dum minutissimum superest. Imò Christus, B. V. ipso momento exciderent, ille unione hypostaticâ, hæc cœlo, si minimum peccarent.

Quintò. Præcipitur ob illud homo non in infernum, sed in purgatorium ejusque pœnas infernalibus similes, exceptâ æternitate, desperatione, odiò Dei.

Sextò.

Sextò. Meretur unum peccatum veniale omnia hujus mundi & temporis mala Med. 1. p. 2.

Septimò. Sequitur ex peccatis venialibus magna naturæ per habitus malos corruptio, dispositio ad mortalia.

Octavò. Multi sunt in inferno, qui in pœnam venialis, subtracto gratiæ efficacioris auxilio lapsi in mortalia damnati sunt, cum detrimento sæpè salutis alienæ per illos neglectæ, ob impedimenta gratiis opposita in se & aliis.

Nonò. Peccata venialia publici boni remora, communis mali aliquando causa sunt & occasio damnationis alienæ.

Decimò. Ipsa mors Christi ad unum veniale expiandum necessaria est ex quorundam sententiâ Atque ista quidem omnia, justo Dei & sanctissimò judiciò. Comparatio fiat meorum venialium, uti supra Med. 1. n. 4.

Conclus. pract. Debeo in summâ, & timidâ confusione & dolore, comparare coram Deo. Deinde vitam perfectionibus corrigere, & compensare, ex Medit. 2dâ.

Punctum secundum juxta
Med. 2. suprâ.

MEmoria proponit, ex variis vitæ temporibus, locis functionibus &c. multitudinem peccatorum venialium, quæ aut in re mala contra Deum

Deum, proximum, vota, in peccatis capitalibus; aut in opere bono admiscendo mala, seu actu, seu intentione; aut omissione admissa sunt. Horum quot sunt in uno opere. v. G. Oratione? Unâ horâ? Die? Anno? Vita? non millia, sed milliones.

Intellectus considerat primò quod singula venialia habeant suam specialem foeditatem, & malitiam Deo invisam &c. Med. 2. p. 1.

Secundò. Quod velut mortalia crescant ex vilitate offendentis. Tertiò. Ex personâ offensi &c. vide Med. 2. p. 3. & 3

Unde consurgit infinitas quædam foeditatis, & malitiæ in uno veniali; quid in tot? Quid si Deus toties te deseruisset, quoties desereri meritus es, etiam per peccata venialia; ubi nunc, & quis esses? Quid si deserat deinceps?

Conclus. pract. Eliciendus intensus timor & dolor, expiatio, vita deinceps tantò perfectior &c. Med. 2.

Meditationis tertiæ Compendium.

Peccatum veniale prosequendum magno odio, dolore & pœnitentiâ, emendandum magnâ perfectione.

Primò. Ob gravissimas illius pœnas.

Secundò. Ob magnam illius malitiam

Quarta Meditatio, sit repetitio aut sequens Consideratio.

Conside-

Consideratio.

FACIENDI FRUCTUS DIGNI POENITENTIAE.

Primo. Inspiciendum quodnam vitæ genus, mole an asperum, arctum an laxum, religiosum, an sæculare, magis tibi idoneum, ac necessarium sit; ut divinæ bonitati tam misericorditer in te præ aliis longanimi aliquo modo gratus sis; ut poenas non modicas deleas: ut deinceps procul absis à relapsu vehementer pertimescendo.

Secundo. Addenda satisfactio aliqua: cujus præxim mirabiliter, & exactè tradit S. P. Addit. Est duplex: interior & exterior; interior est dolor cum proposito emendandi. Exterior est triplex: circa victum, circa somni & strati modum, circa carnem ut inflictum dolorem sentiat, huc spectat omne genus mortificationis. Mortificatio afficere debet omnes facultates, & passiones animi, omnes sensus corporis: afficere debet, ut illis omnia vanè grata subtrahas, difficilia infligas; ad soliùs Dei obsequium exerceas.

Hujus exterioris poenitentiaë triplex est effectus.

Satisfacere pro præteritis, sensualitatem subjicere rationi, domare rebellionem hominis inferioris, impetrare aliquod gratiæ divinæ donum v. g. intimam cordis contritionem &c. Cautelas pro his adhibendas tres suggerit S. P. ne sit nimia,

ac

ac plus noceat quàm proſit: ne pœnitentias hu-
jusmodi omittamus ob affectum carnis; ut mu-
tatis pœnitentiæ generibus experiamur quid ma-
gis expediat.

Tertiò: Sic instituendæ rationes vitæ; ne super-
ſint horrendæ pœnæ purgatorii, & remora viſio-
nis Dei; ſupererunt illæ morienti, & magnæ, &
certæ; niſi nunc expies, neque verò expiabis, niſi
tibi nunc conſtituas certa quædam certis tempori-
bus, & numero, per dies, & hebdomades perſol-
venda. Ea ſunt opera pœnitentiæ exterioris n. 2.
eſt uſus diligens, & exactus Sacramentorum, &
indulgentiarum: eſt infinitum pretium Sacrificii
Miſſæ: eſt veneratio ſanctiſſimæ Paſſionis Chri-
ſti: atque per hanc humillima deprecatio, v. g. ſi
diviſis per diei horas partibus Dominicæ Paſſio-
nis, cum magno amore doleas de peccatis horæ
præteritæ ac totius vitæ, petens remiſſionem,
& emendationem per præſens myſterium paſſio-
nis: libenter ignoſcere, & remittere quæſcunque
aliorum in te offenſas, juxta illud Chriſti: *Sicut
& nos dimittimus.* Faciunt etiam huc quæ mox di-
centur, quæque ſuſcipienda ſunt, tum ut gratos
nos præſtemus mirabili hætenus miſericordiæ di-
vinæ, tum ut vetera expiemus, tum denique ut
in novitate vitæ ambulemus, & vetera damna
nobis, Deo que compenſemus.

Quartò: Omnia opera tam perfectè, tam perfe-
ctâ intentione agere, quàm ſœda agnoſcis priora
peccata, ut ſingula quæque opera exhibere poſſis
oculis Dei velut dignum opus pœnitentis. Ha-

bent singula opera virtutem expiatoriam etiam minima. Quam multa ea esse possunt?

Quintò: Cavere deinceps omni sollicitudine, omne ac minimum peccatum, umbram, speciem, periculum remotum, ac vel suspicionem peccati.

Sextò: Acceptare cum gaudio quævis à quovis illata adversa, inopiam, contemptum, dolores &c. quæ semper erunt inferiora tuis meritis, & obligatione erga misericordem Deum, sed justum.

Septimò: In omnibus occasionibus, quæ millenæ, & in momenta pœnè occurrunt, aliquid mortificationis quærere, multa minuta, cum magno desiderio, cum maxima sis meritis.

Octavò: In nullis prosperis gaudere; nullis inhiare, cum carere non potes, indignissimum te illis judicare, nihil illa ad pœnitentiam; nec apta peccatori tanto: semper in aliquo genium fraudere, parva merentur & disponunt ad magna.

Nonò: Agere cum quovis proximo summâ humilitate, & mansuetudine in memoriâ indignissimæ vilitatis tuæ, & peccatorum, &c.

Decimò: Profectus sit: augere Dei offensi æstimationem; tui ob peccata confusionem, contemptum & odium, animi internum dolorem; heroicis actus pœnitentiarum & laborum: frequentationes pœnitentiarum minutarum; desideria contemptuum, & crucis: cautelam minorum peccatorum; puritatem, & intensiorem bonæ in omnibus intentionis &c. *Charitas operit multitudinem peccatorum* 1. Petr. 4. 8. Denique omne genus pœnitentiæ, & mortificationis cum gaudio

dio exerceri debet ex spe, & certitudine magni
fructus apud propitium Deum.

Verba Scripturæ sacræ.

Altissimus peccatores odio habet, & impiis
reddet vindictam Eccl. 12. 3.

Nonne Deus ipse, cui peccavimus? Isa. 42. 24.

Peccavimus in conspectu tuo Esth. 14. 6

Propter quod irritavit impius Deum. Ps. 10.

Odio sunt Deo impius & impietas ejus. Sap. 14. 9.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto
corde meo, & glorificabo nomen tuum in æter-
num, quia misericordia tua magna est super me,
& eruisti animam meam ex inferno inferiori.
Ps. 85. 12.

Projicite à vobis omnes prævaricationes, & fa-
cite vobis cor novum & quare moriemini;
Ezech. 18. v. 21.

Convertimini ad me in toto corde vestro.
Joël 2. 13.

Qui in modico iniquus est, & in majore ini-
quus est. Luc. 3. 8.

De profundis clamavi ad te Domine Ps. 129.
de hoc S. Aug. Videte fratres, quale sit profun-
dum, ubi contemnitur Deus.

Legenda.

Ex Thom. Kempis lib. 1 c. 6. & 2. 1.

Lib. Exerc. . . de discernendis Spiritibus pro 1.
hebd.

Lancitio Opusc. 11. C. 7. Opusc. 16. C. 3. 11.
Op. 6. C. 8. G 2 Rode-

Rodericio p. 2. Tr. 1. de mortific.

Nieremb. de ador. L. 1. c. 5. 6. l. 2. c. 13. 14.
l. 3. c. 13.

Si quis in his materiis diutiùs exercendus videatur; sumi possent Meditationes ex S. P. Med. 1. de peccatis. Puncto tertio: ubi ait: *Exerceamur pari modo circa peccatum mortale, & particulare quodlibet: considerando quod peccato tali vel semel commisso forè detrusi sint multi in infernum &c.*

Potest ergo sumere peccatum, aut peccata, quo quis aut sæpiùs, aut graviùs aut periculosiùs labitur, ejusque expendere repugnantiam cum fine hominis, pœnas, scœditatem, malitiam cum sui confusione magnâ, pari dolore, & proposito meliorum juxtâ modum Med. 1. & 2.

Referri etiam huc possunt stupenda, & timenda Dei judicia, quibus certum numerum peccatorum constituit, & mensuram; ita ut illâ impletâ, aut vitam, aut gratiam efficacem negaturus sit misero damnando homini. Lucifero post primum peccatum negavit locum pœnitentiæ; Simile evenit omnibus damnatis, post aliquot Deo notum peccatum: timendum tibi semper.

Meditatio institui potest ad modum Meditationis primæ, maximè puncti tertii, ac etiam secundæ, per hanc exaggerando gravitatem relapsus. Idem eodem modo fieri potest de peccato veniali ex puncto tertio Med. primæ; sunt enim de factò in inferno, quorum damnatio initium habuit à peccatis venialibus, & tempore forsan minore, quàm tuus sit &c. ad modum Med. tertix.

NB.

NB. Hoc die aut sequenti facienda confessio generalis, de hac agit S. P. pag. 47.



Dies quarta.

DE NOVISSIMIS HOMINIS.

DE inferno solo Meditationem habet S. PATER suggerit tamen ipsemet circa finem ejusdem Med. posse etiam addi alias, ac plures Meditationes de morte, de judicio &c.

Scopus est: *Ut si quando me ceperit divini amoris oblivio saltem à peccatis supplicii timor coërceat.* Cum verò intendat S. P. non solum omne remove peccatum, sed ad finem hominis & perfectionem expiatis peccatis perducere: hinc ad scopum harum Meditationum etiam pertinet, ita nunc ex Meditatione novissimorum affici intellectu & voluntate erga finem hominis, erga media, honorem & contemptum, prospera & adversa, peccata, & virtutem &c. uti afficiuntur nunc damnati, túque afficeris certò in morte, judicio, æternitate, purgatorio; ideoque nunc agere, quod tunc & istic actum velles; idque nunc agere ita, ac si illa proxima essent, mors, judicium &c.

Meditatio prima

DE INFERNO.

Oratio preparatoria pro more.

Præludium primum: *Est compositio loci, subjecta oculis imaginationis inferni longitudine, latitudine, ac profunditate.*

G 3

Prælu-